MORS, ET VITA
IN MANU LINGUÆ,
SIVE
DE S. SPIRITUS
ADVENTU.
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio
AD SANCTISSIMUM D.N.
INNOCENTIUM XII.
PONT. MAX.

AB INNICO DE GUEVARA
Sem. Rom. Convict.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCXCIX.
Typis Antonii de Rubeis propè S.Sylveſtrum de Capite in via Vitis.

Superiorum Permiſſu.

10

10

INNOCENTIO XII. PONT. MAX.

INNICUS DE GUEVARA Fœlicitatem.

D*Ivini Spiritus Linguam Eccleſiæ Capiti, ac proinde Tibi,* BEATISSIME PATER, *Deus hodierna luce committit. Ego verò ab Sapientiſſimo Regum edoctus* Mortem, ac Vitam eſſe in manu linguæ, *ſic arbitratus ſum id ab eo dictum, ut argumentum, atque dedicationem Orationis mihi præſcriberet. Neque enim alia videri poteſt Lingua mortis, ac Vitæ, quàm quæ hodie depluit è Cœlo; nec alius eſt certè Pontifex, qui geminam ejus efficacitatem referat meliùs, quàm* INNOCENTIUS XII. *Fiet enim quamprimùm ut diſpertitæ in omnes Terras Nationes, ac Linguæ ad Anni ſæcularis celebritatem, in unum veluti Populum, & Linguam coaleſcant. Una tùm erit eorum vox qui ad Te venient, Te illum eſſe Pontificem, cujus manus Linguæ*

coniuncta mortem, ac Vitam effundit. Videbunt antiquæ Urbis cineres Tuæ Liberalitatis imperio novis ædificationibus animatos; Pauperum egeſtatem ſpiritu oris Tui de medio ſublatam, & eandem è ſinu Charitatis Tuæ renatam, ut pauperes Tibi loco eſſent Nepotum; malos mores Sanctionibus Tuis deletos, ac primorum temporum Virtutem Tuis exemplis reſtitutam; Hoc denique ſæculum Tua tum manu, tùm Lingua, in ipſo Sanctioris Portæ limine, cum ſuis omnibus Bellis, & Vitiis extinctum; Alterum verò proximè evolvendum, per eaſdem auſpicatiſſimas Valvas intromiſſum, ut Religioni, & Paci Terrarum Orbis vivere incipiat. Fruere itaque his Tuis tot, tantiſque bonis, & patere ut ſupplex ego Tuos devolutus ad pedes vocibus Gentium omnium hac Oratione præludam, quam ideo Tibi offero, Tuoque nomine inſcribo, ut Hominum etiam Linguis in Tuarum laudum ſuffragatione Divini Spiritus lingua reſpondeat.

ORATIO.

QUID eſſe dixerim, BEATISSIME PATER, quod abjectis placidæ Majeſtatis inſignibus, Divinus hodie Spiritus ſpeciem terroris induerit? Mitis antea Columbæ candorem in Symbolum pacis adſcivit; nunc ardentem ex igne linguam in gladium belli depromit. Aſſequor, ut puto, Myſterium. Idem omninò Spiritus Imaginem ſui duplicat, nec abeſt à Columba, qui migrat in linguam. Quin, ut augeat prodigia, decreſcit in flammulam, ſed loquacem; atque unus cum ſit, geminat virtutem Igne, ac Voce: Ille mortem, hæc vitam tribuit. Utrunque beneficium: Etenim huic etiam linguæ convenit, quod Sapiens ait: *Mors, & Vita in manu linguæ.* *Prov. 18 21.*

Ferebatur olim Spiritus Domini ſuper aquas, ad ſimilitudinem volucris, ut prima rerum ſemina foveret ad Vitam. Sepulto poſtea, non ſolum Orbe, ſed etiam Naufragio Terrarum, revolans ex Arca ſuper Aquas Spiritum

vitæ

vitæ in pennis Columbæ reduxit. Mortuum quodammodo Mundum bis animavit: ſemel cum nondum is vivere cæperat, iterum cum preſſus fluctibus vivere deſierat. Hodierna verò luce ad ſimilitudinem linguæ flammis innavigat, ut vivum impietati Mundum vitali morte conſumat. *Ignis enim conſumens eſt*: & mortuum Operibus Fidei Vitæ operanti ſalutem reſtituat; lingua enim eſt ut impios vocet ad vitam; Quare, ſi prima in homine moritur,& noviſſima naſcitur lingua, veterem hæc mori hominem, novumque naſci deprædicat.

Ariſt. & Plin.

Et videor mihi quidem videre hunc Gentium omnium Orbem ſuis immorientem Cineribus. Ubi enim tot impia ſuperſtitionis templa? Ubi tot Idolorum delubra? Ubi tot conſecrata in Aſylum ſcelerum altaria? Ubi denique vetus illa & hominum, & Vitiorum Reſpublica? Requiritur jam Terrarum Orbis in Orbe Terrarum, nec ſatis apparet Cinis, ne dum Cadaver priſtinæ improbitatis.

Quod olim in hac Urbe Senonum flammis exarſit incendium, antiquam illud Romuli paupertatem abſumpſit, ac novis opibus prætulit facem. Hodiernum verò flammeis linguis delapſum è Cœlo, quid aliud agit niſi ut deſtinata Catholicæ Religionis Domicilio, Deique Templo mortalium Univerſitas, ſic

ar-

ardeat, ut expiata videatur illuſtrior, ſic moriatur, *ut Corpore peccati* deſtructo in *gratiam vitæ* reviviſcat.

An non Auguſtam Sionis Curiam eorum, qui ambulent *in vitæ novitate* Matrem aſpicimus? In ea renaſcitur afflato ex Deo Spiritu exanimis adhuc Fides Apoſtolorum. Jacebat vita functus Sunamitidis Puer, at Eliſeus coarctatus in Puerum calorem, ac Spiritum Vitæ oris halitu eidem inſpiravit. *Calefacta eſt caro pueri; oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos.* 1. Reg. 4. 31. O Diem hunc redivivo Terrarum Orbi fauſtiſſimum! Coarctatur Dei Spiritus in linguam, ut immenſitatem ſuam humani Cordis anguſtiis accommodet: deſcendit, & incubat Capiti Apoſtolorum, ut exanguem, ac rudem Eccleſiæ fætum calore animet, ac Spiritu vitæ. Et ſanè quantus fuit is calor, à quo nemo ſe abſcondit! Quanta novæ ſobolis vox cujus *ſonus in omnem Terram exivit!* Septies etiam oſcitavit Eccleſia, ut ſeptem attraheret Dona ab eo Spiritu profecta: Oculos aperuit, ut cognito Dei Filio vitæ Cæleſtis hæreditatem adiret: Ita denique vixit, ut per illatas ſibi à Regum Tirannide mortes mori didiſceret, ac viveret meliùs, cum eſſet *multitudinis credentium Cor unum, & Anima una.*

Ex

Ex hujus igitur linguæ manu Mortem, ac Vitam nos etiam libentes accipimus. Fœlices profectò qui ſic moriuntur, ut Deo ſe *tamquam ex mortuis viventes exhibeant*. Fœlices qui ſic vivunt, ut fructum habeant *in ſanctificationem, finem verò vitam æternam*. Quod ſi admirabili nexu manum, & linguam irrotatus è Cœlo Spiritus hodie conjunxit; eam denique veram eſſe fidei vitam intelligamus, quæ pietatis opera cum voce Religionis conjungat.

LAUS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE